

Aristotelis de Vir-tutibus Lib.

ANDREA A LACVNA SECO-
bienſi Interprete.



P A R I S I I S,

Ex officina Prigentij Caluarini, ad Geminas
Cyppas, in Claudio Brunello.

1 5 4 8.

ARISTOTELIS DE VIRTU-
TIBVS LIB.

D
Ignar commendatione sunt, quæ honesta: virtus, quæ turpia existunt. Sed inter honesta quidem, virtutibus, inter turpia autem, vitius, primæ debentur partes. Efferre laudibus convenit ipsarum etiam Virtutum caussas, comitesque, ac breuiter, quicquid ab eis proficiuntur, virtutumque opus existit: Reprehendere autem contraria. Quum animæ partes sint tres, ex sententia Platonis, Ratiocinatricis quidem virtus, Prudentia est. Animosæ autem, siue Irascibilis, Mansuetudo, Fortitudoque: Concupiscibilis denique, Temperantia simul & Continentia. At totius animæ sunt Virtutes, Iustitia, Liberalitas, & Magnanimitas. Vitium rursus, Ratiocinatricis quidem, est Stultitia: Irascibilis, Iracundia & Ignavia: Concupiscibilis verò, Intemperantia iuxta & Incontinentia, sicuti & totius animæ, tum Injustitia, tum Illiberalitas, atque adeo ipsa Pusillanimitas.

P R U D E N T I A.

Prudentia igitur, partis animæ Ratiocinatricis est virtus, quæ ad felicitatem spectant omnia, ea concilians nobis.

M A N S U E T U D O.

Mansuetudo autem, Irascibilis partis animæ virtus est, qua prædicti, non facile commouentur ira.

F O R T I T U D O.

Fortitudo verò, Irascibilis partis animæ virtus est, quæ insigniti, non facile eorum quæ minantur mortem, consternantur formidine.

T E M P E R A N T I A.

Temperantia, Concupiscibilis animæ partis est virtus, quæ instructi homines, prauas voluptates respuunt & aspernantur.

ARIST. DE VIRTVTIBVS. 2
CONTINENTIA.

Continentia, Concupisibilis animæ partis est virtus, qua præditi, exorbitantem, atque ad prauas voluptates tendentem cupiditatem, intra suos fines ratione continent.

IVSTITIA.

Iustitia autem, virtus animæ est, qua tribuitur suū ius cuiq; LIBERALITAS.

Liberalitas virtus animæ est, ad honestas largitiones promptissima.

MAGNANIMITAS.

Magnanimitas autem, est virtus animæ, qua fortunam & infortunium, honorem & ignominiam ferre aliquis potest.

STVLTIA.

Stultia est vitium animæ rationabilis, malè infelicitérque viuendi causa.

IRACUNDIA.

Iracundia partis animæ Irascibilis, vitium est, vnde homines facile bile agitantur.

TIMIDITAS.

Timiditas est vitium Irascibilis animæ facultatis, per quam concutiuntur timoribus, iis præcipue qui minantur interitum.

INTEMPERANTIA.

Intemperantia vitium est partis animæ Concupisibilis, quo ducti homines prauas appetunt voluptates.

INCONTINENTIA.

Incontinentia est vitium facultatis Concupisibilis, quo infecti imperiosam cupiditatem, reluctantemque rationi, atque ad obscenæ cupiditates propensam, sequimur.

INVSTITIA.

Iniustitia vero, vitium animæ est, quo imbuti, contra omne ius, aliena bona sibi usurpant atque circumscribunt mortales.

AVARITIA.

Avaritia autem est vitium animæ, qua ducti mortales, vndique lucrum venantur.

PVSILLANIMITAS.

A ij

ARISTOTELIS

Pusillanimitas, est vitium animæ, quo affecti, fortunam & infortunium, nomen & ignominiam homines ferre non possunt.

OFFICIA PRUDENTIAE.

Prudentia autem est consilio deliberare: bona, malaq; atq;
adeo etiam quæ in hac luce expetenda sunt, declinanda,
discernere: honestè uti fortunæ bonis præsentibus, rectè cum
hominibus conuersari, nosse occasiones temporum, cautè uti ser-
mone & operibus, ac denique omnium quæ ex vsu sunt, expe-
rientiam habere. Memoria porrò, Experientia & Sagacitas,
aut ab ea emanant, aut comitantur Prudentiam, aut hæ qui-
dem, coadiutrices ipsius Prudentiae sunt, ut Experientia &
Memoria. hæ autem, partes eius omnino, ut Matura delibera-
tio, & Sagacitas.

MANSUETUDINIS.

Mansuetudinis est criminaciones contemptusque quam mo-
derate ferre, nec celeriter concitari ad vindictam. Item, non fa-
cile excandescere in bitem, sed placidis & pacificis esse prædi-
tum moribus, serenumque & mitem animum possidere.

FORTITUDINIS.

Fortitudinis est, interrito animo esse ad ea quæ mortem mi-
nantur: alaci ad aggredienda grauia negocia, promptoque ad
subeunda pericula. Ad hæc, potius præclare mori, quam tur-
piter superesse, eligere. Præterea, victoriae caussam existere, la-
borare, durare, velle, & posse, etiam fortitudinis est. Eam au-
tem sequuntur Animositas, Generositas, Confidentialia, Audacia,
Sedulitas, & Tolerantia.

TEMPERANTIAE.

Temperantiae est, corporearum voluptatum illecebras non
admirari, sed omnem turpis oblectamenti fruitionem negligere,
& licentiam & facultatem utendi etiam honestis rebus, cau-
tè recipere, eandemque seruare vite rationem in magno simi-
liter & p̄sillo fortunarum accessu. Temperantiae comites sunt

ordinis quedam integritas, mundicias, verecundia, et cautio.

CONTINENTIAE.

Continentia est, ipsam cupiditatem in peſsimas illecebras voluptatum irruentem, poſſe ratione compescere, aduersusque omnes defectus naturae, perturbationesque animo eſſe forti et infracto.

IVSTITIAE.

Iuſtitia autem eſt, cuique ſuum iuſtribuere, patrios mores & iuſtitia feruare, cuſtodire que etiam ſcriptas leges, veritatem, vbi opus eſt, dicere, pactisque ſtare perpetuo. Eſt autem prima iuſtitiae ſpecies, qua Deo: ſecunda, qua diuina: tertia, qua patriæ et parentibꝫ: quarta denique et ultima, qua defunctis vita ſuum iuſ debitu[m]que preſtamus. Inter quas etiam adest et Pietas, aut pars ipſius Iuſtitiae exiſtens, aut certè Iuſtitiam conſequens. Comitatur porro Iuſtitiam Sanctitas, Veritas, Fides, & Abominatio malorum.

LIBERALITATIS.

Liberalitatis autem eſt munus, ad honestos uſus erogare pecuniam, largumque eſſe, vbi videtur expediens. Ad hanc etiam ferre ſuppetias inopi, nec accipere unde non decet. Gaudet porro liberalis, et veſte, et habitatione ſplendida. Conciliat etiam ſibi res quidem ſuperuacaneas, honestas tamen, et quæ oblectant atque demulcent animos, etiamſi ad vitam uſque adeo neceſſariae non ſint. Alit ſemper domi animalia, quid iocundi ſpectaculi, admirandive exhibentia. Liberalitatis autem ſunt comites, benignitas morum, facilitasque et humanitas: necnon ad miserationem, amicitiam, hospitalitatem, adque res præclaras inclinatio et propenſio.

MAGNANIMITATIS.

Magnanimitatis autem exiſtit opus, pulchre ferre fortunam et infortunium, nomen et ignominiam poſſe: nec delicias, nec clientelam, nec potestatem, nec victorias partas, profequi admi-

A ij

ARISTOTELIS

ratione, sed in animo habere magnum atq; profundum quid. Magnanimus verò est, non is quidē qui vivere facit plurimum, aut vitam vehementer amat, sed qui moribus simplex & generosus quum sit, etiam iniuria affectus ad vindictam minimè concitatur. Magnanimitatem sequuntur Simplicitas, atque etiam Veritas.

STULTITIAE.

Stultitia autē est, praeuē iudicium ferre de rebus, & consultare, praeuēque uti fortunae bonis præsentibus, necnon opinione decipi, circa tū mala, tū bona, quæ ad vitam humanā pertinet. Stultitia comitur Inscitia, Mollities, Ineptitudo, & Oblivio.

IRACUNDIAE.

Iracundiae tres sunt species, Excandescens, Amarulentia, ac veluti stupiditas quedā. Iracundi autē est, ne tantillo quidē neglectus sui, imminutionē sue perferre posse, sed vindicē esse, vltionemq; statim appetere: necnon ob verbū, vel ob rem quālibet subito iracundia inflāmari. Iracundiae comites sunt, quedam facilis irritatio morū, mobilitasque, necnon de pusillis rebus magna altercatio, ob easq; cōmotio animi. Horū autē omnium, ut generatio est subita, sic momentanea perseveratio.

TIMIDITATIS.

Timiditatis est, obuios ob quosq; terrores facile cōmoueri, sed ob eos præcipue, qui aut mortē, aut corporeā orbitatē minantur: ducereq; præstantius esse qualitercūq; seruari, quā interire honestē. Hanc sequuntur Mollities, Effæminatio, Ignauia, nec non magnavita cupiditas. Quod verò ad mores ipsius pertinet, ea cuncta est, & pacifica.

INTEMPERANTIAE.

Intemperantia autem est, turpum pernicioſarumque volūptatarum illecebris inhibere, existimareque præcipue felices eos, qui in id genus immoderantiis versantur. Ad hæc etiam, gesticulationibus, facetiis, & salibus oblectari, mollemq; esse, & sermo-

ne & re. Comitantur Intemperantia Confusio, Impudentia, Invenustas, Negligentia, Contemptio, & omnimoda dissolutio.

INCONTINENTIAE.

Incontinentia est, reluctante ratione sectari voluptatum illecebras, & quoniam existimes longè esse melius ab eis abstinere, frumentum illis nihilo secius: necnon ducere operapretium esse facere honesta & quae expedient, et tamen voluptatum gratia negligere. Incontinentiam sequuntur Mollities, Pœnitudo, & omnia quae Intemperantiam comitabantur.

INVSTITIAE.

Iniustitia species existunt tres, Impietas, Vsurpatio, Cottumeliaque. Impietas enim est, qua in Deum, in Diuos, in Defunctos, in Parentes, in Patriam, iniqui sumus. Vsurpatio autem, qua, circa huius vitæ commercia, præter ius, aliis cupimus antecellere. Contumelia verò, qua instructi, sic homines sibi voluptatem conciliant, ut alios in probrum agant & dedecus. Quare de ipsa differens Eumenes, sibi, inquit, quum lucrificiat nihil, iniuria tamen afficit cæteros. Iniustitia autem est patrios violare mores, institutaque à maioribus præuaricare, legibus magistratibusque minime audire, mentiri, peierareq; necnon pateta simul & fidem frangere. Iniustitia comites sunt, Sycophania, Iactantia, Humanitas ementita, Malignitasq; morum, & Impostura.

AVARITIAE.

Avaritiæ etiam sunt tres species, Turpiluctum, Parcitas, & Tenacitas. Turpiluctum est, quo ducti homines, vndique ipsum lucrum venantur, plurisque faciunt id, quam pudorem. Parcitas autem, qua parci ad res honestas existunt. Tenacitas denique est ea, qua insunt quidem, adeo tamen tenuiter & sensim, ut plus noceant, sumptus dum opportunè non faciunt. Ipsius porrò avaritiæ est, pecuniā plurimi facere, nec inesse probrum ullum iis, qui faciunt lucrum, putare. Auari autem vita,

ARISTOTELIS

mercenaria, seruilis, atque sordida est, ab omniq; honoris studio liberalitatēque alienissima. Avaritiam verò, de pusillus magna alteratio, Deiectio animi, Pusillanimitas, Utilitas, Immoderatio, Rusticitas, atq; adeo Misanthropia, siue odium humanitatis sequuntur.

PUSILLANIMITATIS.

Pusillanimitatis autem, nec nomen nec ignominiam, nec fortunam nec infortunium posse ferre est, sed honore quidem tumescere, ac paululum arridente fortuna, superbire & attollere ignominiam verò nec minimam perpeti posse, sicuti & frustrationem omnem, calamitatem & infortunium maximum iudicare, ad omniaque præterea sinistra tum flere, tum ingemiscere. Sic autem natura comparatum est pusillanimi, vt omnes negligentis sui, vel si ob ignorantiam aut obliuionē contingent, contumeliam & ignominiam appelleret. Sequitur Pusillanimitatem & de pusillis rebus magna contentio, quaerimonia etiam, diffidentia, atque deiectio animi.

In uniuersum autem, ipsius Virtutis est opus, animæ constitutionem admodum generosam efficere, tranquillisque videntem atque ordinatis motionibus, ac breuiter, consonantem per omnes partes ipsius. Quare bona alicui Reipub. similis esse videtur animæ optima constitutio. Est etiam & hoc Virtutis, beneficijs dignos afficere, atque bonos amore prosequi: vindictæ aut vltionis cupidum minimè esse, sed misericordem, & mitem, facileque ad ignoscendum promptum. Comitantur Virtutem, Probitas, Moderatio, Synceritas, Spes bona, atq; alia eiusmodi, ad familiaritatem videlicet, amicitiam, sodalitum, hospitalitatem, humanitatem, ac denique res præclaras, propensus amor. quæ quidem ex iis quæ commendantur, sunt omnia.

F I N I S.